

fidem. Et Hebr. 6. 12. Imitatores estote eorum, qui fide & Patientia hereditant promissionem.

21. Habet verò imitatio isthæc suam restricti-
onem & προσδιορισμὸν, ne videlicet stulta κα-
κοζήλεια, indiscretè omnia in universum facta
& opera Sanctorum in exemplum & ad imita-
tionem rapienda esse, opinemur.

22. Sunt enim etiam ipsorum opera nonnulla
mala, & in parte vitij collocanda: quæ imitari
non licet: Sunt deinde motus heroici, personales
actus, mandata singularia: qualia fuerunt, fa-
ctum Phinees. Num. 25. Abrahae, filium immo-
laturi. Gen. 22. Petri super aquas ambulantis.
Matth. 14, 29. & similia quæ ab imitatione ex-
cipiuntur. Sunt etiam miracula, quæ sancti illi
ediderunt: quæ imitari non possumus, si velimus
maximè.

23. Quam ob causam Confessio nostra, Imita-
tionem istam juxta cuiusque vocationem institu-
endam esse admonet: ut nimiràm vnusquisque di-
gnè sua vocatione ambulet. 1. Cor. 7, 20. Eph. 4, 1.

24. Imitabitur ergo quisque in genere ea dun-
taxat, quæ sunt communis religionis propria, &
sic fidelium omnium communia: Quo in censu
sunt Fides, & Bona Opera: Vitabit contra in spe-
cie, quæ à vocatione sua sunt aliena: ut privatus
vitabit, quæ regem decent: Rex, quæ Prophetæ
propria: Prophetæ, quæ Regi in vocatione sua pro-
priè competunt.

PARS